







I  
II  
III  
IV  
V  
VI  
VII  
VIII  
IX  
X  
XI  
XII





Parentatio  
 CL<sup>mo</sup> V. M. CHRIS-  
 TOPHORO CÆSARI,  
 SCHOL. HAL. RECT.

scripta  
 à

LAVRENTIO Shmen  
 HALENSE.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

*Vitam operasq; omneis qui publi impendit Halensi,  
 Subtus CHRISTOPHORI CÆSARIS urna latet.  
 Imperium heic nullum visus tenuisse, sed illic  
 Cum CHRISTO summum jam tenet imperium.*



LIPSIÆ

Ex Officina Typographica Abrahami  
 Lambergi, Anno 1605.



*Ornatiss. Iuveni*

*IOACHIMO CÆSARI S.*



Ominem proponere, Deum disponere si non expertus fuisset alibi. ornatiss. Ioachime, saltem hæc una scriptiuncula me docuisset: quam statim à beato obitu parentis tui, sponte meâ, ut nosti & primo quoque die conficiendam in me receperam, quò minùs autem conficerem, variis modis usq; in quartum istum mensem impeditus fui: omninò præter voluntatem & opinionem meam, puto & tuam. Sanè occupatissimum me dicere nequeo, interim hoc verè, crebriùs, quàm ipse credam alios credere, hanc chartam & calamum è manibus mihi excussum, & ad alia agenda me fuisse avocatum. Ne tamè viderer unus ex iis, qui multa promittunt, pauca præstant, quorum ubiq; fœcunda seges est, vel furtivis horis & invitâ Lucinâ hunc partum eniti volui, eumq; tandem aliquando enisus sum, vel expuli potiùs talem, qualem & tu vides, & tecum videbunt alij, qui legere dignabuntur. Quod facturos spero aliquos, non tam meâ causâ, aut scripti istius mei, (quod mihi ipsi non satisfacit) quàm parentis tui, qui de multis benè meritis etiam honestam & gratam sui memoriâ apud multos conservari meruit. De te nullus mihi fit scrupulus: nec igitur quidquam addo amplius, nisi ut valeas, & quod fœliciter cœpisti, porrò patrisses, Dab. Cal. Decemb. 1604.

*Laurentius Shm.*

PA-



# PARENTATIO.



**S**IC EST COMPARATVM  
 Et cum naturâ meâ, Et hisce tem-  
 poribus, ut mihi tacendum potius,  
 quàm dicendum vel scribendum,  
 aliquid intelligam. Persuasit ta-  
 men honestas, pervicit pietas, ut in memoriam  
 Clariss. viri CHRISTOPHORI CÆSARIS haud  
 ita pridem defuncti calamum expedirem.

Communis illi cum parente meo τὸ πατρὶος Pa-  
 tria, quam majorem vocant, fuit Borussia: Vnde  
 cum uterq; in has oras Et hanc urbem singulari  
 fato traducti essent, postmodum, quoad vixerunt,  
 vixerunt conjunctissimi, eaq; necessitudo in utraq;  
 familia necdum extincta est: Sed me ipsum quoq;  
 à puero, bonis literis informandū CÆSAR suscepit,  
 ac ferè omnem, quantulumcunq; etiam, ingenij  
 mei cultum suæ vindicare potest industria. Quòd  
 si paternam amicitiam veluti hereditariam ad  
 se quisq; transferre, tueri Et omnibus modis exor-  
 nare debet; si Præceptoribus nostris in tantum,  
 quantum nec parentibus ipsis obligati sumus;

Isocrat. ad  
 Demonic.

Plutarch. in  
 vit. Alexand



Id. in Polit.

Viā. l. hoc  
jure 152. §.  
fin. de R. l.  
junct. l. 25. §.  
consult. 11.  
de pet. h. red.

Petr. Crinit.  
lib. 24. de ho-  
nesta discipl.  
cap. 1.

præcipuè verò defunctis hoc uno, ut dotes & glori-  
am eorum, quantum in nobis est, illustremus, pe-  
rindè ac soli subiecta corpora, quæ cum inde splen-  
dorem accipiunt, vicissim & reddunt; quid ego  
CAESARI meo non debeam, qui me duplici illo vin-  
culo peculiariter sibi obstrictum multis jam annis  
tenuit? Adde, quòd non possum non grato animo  
recordari, quã promptum eundem atq; officiosum  
beati manes tum Parentis mei, tum Avi materni  
senserint in exequijs ipsorum & luctu & publico  
stylo cohonestandis: quo pacto illi me ceterosq;  
coheredes in solidum ad simile quoddam ἀντίδωρον  
saltem naturaliter obligatos CAESARI relinqui-  
runt.

At, quæso, pro me à parte quid præstem, aut  
quã monet à debitū istud exsolvam? Aristoteles  
Platoni præceptoris suo vitâ defuncto aram con-  
struxisse legitur, statuamq; consecrâsse, cum in-  
scriptione: Hunc esse illum, quem prohi omnes  
meritò debeant imitari & commendare. Hoc  
honore, hac arâ, hac statuâ & inscriptione forsân  
haud indignus videri poterat CAESAR noster: ve-  
rùm à me tenuitate tale quiddam non ausim pol-  
liceri. Liceat modò, sicuti quondam Æschines,  
cum Socrati à cæteris discipulis pro cuiusq; fa-

cultatibus



cultatibus munera offerentur, ipse pauper auditor seipsum donasse fertur, ita & me ipsum, hoc est, animum gratum, omnemque mentis adfectum CAESARI meo obferre, idque his pagellis publicè testatum facere.

Atque agedum ordiar telam parentationis veteri & communi more, quem in omnibus decoris & honestis rebus libenter sequor, à filo Maiorum & familiae nostri CAESARIS. Ea Penicij Misniae oppido ad Mildam fl. non in celebri, hodie sub ditione Baronum Schonburgensium, ante annos centum triginta quatuor primùm, nî fallor, enituit in natalibus NICOLAI CAESARIS: qui postea in vicinis scholis Geitana & Mitvedensi studia iuventutis rexit fideliter, ac tandem labore & senio confectus ac rude donatus Lipsiae, ubi adhuc in Templo D. Thomae monumentum eius visitur, penè octogenarius obdormivit, suscepta & partim post se relicta è duabus conjugibus numerosa sobole Liberorum quindecim.

Quos inter præcipuè claruerunt IOACHIMUS, vir eximie doctus, Ilaviae in Borussia, quò Paulum Fasoldum, Praefectum eius loci, Ad finem suum, è Misnia secutus fuerat, Consul: MELCHIOR item CAROLO V. Imp. in obsidione Metensium.





Chron. Sax.  
lib. 22. sub  
fin. fol. 606.

1571.

6. Aeneid.

equis duodecim militans, ibiq; vitam fortissime  
profundens: ac PETRUS ille, Arte & Marte va-  
lens; plurimis expeditionibus bellicis in Gallia,  
Germania, Italia, Belgico & Hungaria strenui  
militis, animosi signiferi ac periti Capitanei lau-  
dem adeptus; vir (Davide Chytraeo, at quali &  
quanto, teste) Fortis, verax, magnanimus & can-  
didus; ob virtutem candorem & fidem multis an-  
nis Petro Toletano Pro-Regi Neapolis familiaris  
& carissimus; à FERDINANDO Imp. Nobilium or-  
dini insertus; insuper arci Lipsica Pleisseburgo ab  
Augusto Septemviro praefectus: quam fortunam  
postquam virtutis suae gloriosam comitem ali-  
quandiu tutatus fuisset, simul interim, ut fieri so-  
let, invidiâ & insidijs subrepentibus, extremum  
in Thermis Carolinis noctu decumbens, dum no-  
bili cuidam, familiariter alias noto, cubiculi osti-  
um improbius pulsanti aperit, nefarie <sup>ab ipso</sup> confossus  
est.

Heu pietas, heu prisca fides, invicta q; bello  
Dextera! Non illi quisquam se impunè tulisset  
Obvius armato, seu cū pedes iret in hostem,  
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.  
Memini beatum CHRISTOPHORUM CÆSAREM  
aliquando per occasionem familiaris colloquij

monstrare



monstrare mihi literas commendatitias ad Imp. Ferdinandum ab Emanuele Philiberto Duce Sabaudia, & alias ad Augustum Saxonem à FERDINANDO Duce Albano, altero superioris seculi Hannibale, utrasq; pro PETRO isto ita perscriptas, ut ad summum virtutis ac fortitudinis testimonium vix quidquam addi posset honorificentius. Eiusdem generis & tertias me legere memini ipsius AUGUSTI manu & sigillo munitas, quibus Princeps verè augustus hunc PETRUM & nobilem claramq; eius familiam, ob multa eaq; eximia in domum Saxoniam merita & obsequia bonis omnibus jubet esse quàm commendatissimam.

Hoc igitur tam nobili & claro genere progenatus est etiam CÆSAR noster CHRISTOPHORUS, Patre IOACHIMO, cuius jam antè mentionem feci, & matre ANNA nobilissimi ac strenui viri Balthasaris Posi Capitanei Ilaviensis filia, & natus in oppido isto Ducalis Borussiae ILAVIA, quæ Germanica vulgò dicitur, ac VVarteburgo, parentis mei minore patria, sub Diœcesi VVarmiensi, bidui præter-proptèr itinere legali (a) Vistulam versus distat, uti altera Borussia eodem circiter spatio versus Bregelam.

Barbara quondam, gentilis & inculta tota

hec

Verba ex literis Augusti Principis excerpta.

An. 1540. d. 24. Ap.

Deutsch Ey-  
lath.

(a) de quo vide l. 3. de V. S. & ibi Gædd. n. 7. 8. 9.



A. 1220.

Sleid. lib. 5.  
Chytr. lib. 11.Id lib. 1.  
fol. 11.

hæc erat provincia, priusquam ab equitibus cruciferis Teutonici ordinis occuparetur, cuius rei initium factum sub Magistro ordinis tertio Hermannno de Salza, qui primus rogatu Conradi Ducis Masoviae cum exercitu Cruciferorum Borussia ingressus fuit: sed quæ nunc eius est facies; præsertim in ea parte, quam illustrissimi Marchiones Brandenburgici jam ab annis octoginta possident, quamq; ideò historici Ducalem nominant, ad differentiam alterius Regiæ, quæ Polonis immediate, ut vulgò loquimur, subjacet; Religionis zelo, exercitijs Iuris ac Iustitiæ, Urbium splendore, oppidorum frequentia, Humanitate civium, morum & linguæ elegantia, flore ingeniorum omnisq; generis studiorum & artium, frugum item, pecoris, ferarum & piscium copia, & usu deniq; commerciorum terramariq; nulli alijs concedit facile, plurimas etiam his donis plerisq; ac singulariter succini sive electri proventu superat; eiusmodi planè regio, ubi viro forti & erudito locum & sortem Bonorum atq; Honorum propositam invenias.

Vnde sanè, si quem patriæ bonitas commendabilem queat efficere, hanc primam laudem CÆSARI meo non invidendam arbitrer, neq; mihi,

Borussum



Borussum illum fuisse glorianti, obtrectandum magis, quam veteribus Graecis, Atticos vel Spartanos suos extollentibus. Nam quod isti olim, ac post eos Romani omnes alios populos, qui diversis linguis & moribus uterentur, quasi cœnosè ac sordidè loquentes & viventes, Barbarorum nomine insectati fuerunt, quodq; etiamnum plerisq; gentibus paulò cultioribus, potissimum Italis, usitatum esse comperimus, ut cæteras nationes ex alto præ se, veluti Barbaras, despiciant (quin quod eadem notâ gentem nostram cum universo Septentrione nominatim ac publicè à Bodino perstrictam legimus) in eo refutando nescio an ullum operæ precium consistat. Vnicum Jacobi Sadoleti iudicium, quod de industria produco, philautiæ huic compscenda suffecerit, dum ipse, quantum vis Italus, & suo ævo atq; in sua gente, unâ cum Petro Bembo & Carolo Sigonio, dignitatis, famæ & eruditionis triumvir, ingenuo ore pronunciat, non solum in Italia, quæ semper bonarum artium parens jure existimata sit, verum etiâ trans alpes in Germania (addo ego, ad ipsum usq; Oceanum & plus ultra) quam multos iam existere, qui se ad politiores dedant literas, & insectentur eorum infantiam, qui audeant præclaras è Philosophia

In meth. Id. R.

In Phædro  
sive de laudibus  
Philosophiæ:

B

senten-





sententias sermonis ruditate, tanquam cœno aliquo, inquinare: qui tali ingenio præditi Barbari certè non sint. Nec enim (inquit gravissimè) quos à nobis aut montium excelsitas, aut latitudo æquorum disjunxit, sed quæ cum veræ Religionis cultu non peragravit humanitas, & artium amor ingenuarum, ea certè & sola est Barbaria. Notemus hanc censuram, & postquam inde Barbariam, Barbarosq; rectè agnoverimus, revertamur ad nostrum CÆSAREM.

Is ergò præter patriam parentes quoq; habuit, quos supra expressi, minimè Barbaros, sed ingenuos, honoratos, nobiles, atq; ipsos omninò tales, qualem hunc filium suum esse voluerunt, & qualis ut esset, omnem curam in educatione eius adhibuerunt. Quia enim indubitatum est, quod ait prudentissimus scriptor Philippus Comineus, omnes eos, qui in ulla re unquam excelluerunt, maturè puerilibus annis ad eam rem accessisse; quod totum consistit primùm in beneficio Dei, proximè in educatione: ideò & parentes CÆSARIS hunc suum CHRISTOPHORUM, non modò in schola patria domestica & publica statim à teneris ad pietatem, linguas, artesq; liberales discendas maximà cum sollicitudine admo-uerunt; sed eundem etiam

jactis

lib. 1. de bello  
Caroli Bur-  
gund.



jactis jam ab eo necessarijs fundamentis maturè  
 VVitebergam ad Phœnicem illum Germaniæ  
 Philippum Melanctonem, uberioris doctrinæ po-  
 tiunda gratiâ ablegârunt. Vbi CAESAR bre-  
 vi tempore tantos fecit progressus, ut supremâ  
 Philosophiæ Laureâ, & quidem loco inter quin-  
 quaginta quinq; Candidatos secundo, (qui erudi-  
 tionis proprius, uti primus honoris judicari so-  
 let) solenniter insignitus fuerit. Qua præcla-  
 râ existimatione celeberrimæ Academiæ de stu-  
 dijs & moribus huius CAESARIS, apud Patres  
 patriæ eius increbrescente, paulò post eum ad se re-  
 vocatum, Moderatorem Ludi sui literarij con-  
 stituerunt. Huic officio triennium ille præfuit  
 integrum, ut uno verbo complectar omnia, lauda-  
 biliter.

A. 1558.

A. 1561.

Porrò autem, quoniam ad ampliora natus  
 erat, nec animus eius incredibili cupiditate do-  
 ctrinæ solidioris inflammatus aliter restringi po-  
 terat, abdicâs se officio, & honestâ impetratâ mis-  
 sione redijt cum adiunctis sibi duobus nobilissimæ  
 prosapiæ Crucianæ discipulis in Germaniam; atq;  
 intelligens haud parùm interesse, quem Locum,  
 quemvè Præceptorem studijs suis quisq; deligat,  
 singulari judicio Lipsiam, & inibi IOACHIMUM

A. 1564.





Val. Max.  
lib. 8. c. 7.

in l. 1. C. de  
Tyron. l. 12.

A. 1572.

A. 1589. 3. 8.  
Iun.

CAMERARIUM ceteris preferendum censuit, propter summam, ut puto, & Doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter scientia ipsum poterat augere, atq; etiam cumulatè auxit, altera exemplis, quem imò locum & hominem, non secus ac olim Athenas & Socratem, Doctrinae fertilissimum jure optimo predicamus. Quòd si pateretur instituti mei ratio, dicerem heic de utroq; fusius, & cum voluptate. Sed reprimo me, ne πᾶρ ἑγῶν πρὸ ἑγῶν.

CÆSAR meus idem cum Glossographo sentiens, scholarem vagum vix fieri Magistrum, hoc est, solidè atq; eleganter doctum, Lipsiæ non unum alterumvè, sed totos ultra septem annos & suis continuandis, & aliorum informandis studijs diligentissimè incubuit: nisi quòd semel V Vitebergam discesserit, unde tamen statim sequenti anno ob internecionem Patruī ad pristina statum regressus perstitit ibidem, usq; dum ipsi divinà providentia Pro - Rectoris munus in Schola nostra Halensi obeundum legitimè deferretur. In quo postquam per undecim annos fidem ac industriam suam cordatis omnibus probasset, tandem etiam supremum gubernationis Scholasticae clavum adeptus, ac Rector publica auctoritate renunciatus est.

Heic



Heic jam subsistendum paulisper, ac praecipuae partes administrati officij à CÆSARE nostro distinctius & sigillatim reposcendae. Novi enim & mecum nōrunt alij, pluribus, quàm par erat, aut quos decebat, eum non satisfacisse, qui uti Terentianus ille servulus, me, aiebat, Regem esse oportuit, sic isti, Nos Rectores. Etsi autem CÆSAR ex veteri ac prudenti monito Imperatoris Severi intentus erat in ea, quae agenda, & vulgi de se fabellas contemnebat: tamen ista heic repetere, utile futurū est, vel eorum causa, qui sinisteris praedicijs alienā forsā magis, quàm suā culpā, haecenus fuerunt occupati.

in Phorm.

Absolvitur ergo totum fidelis Gymnasiarchae officium Doctrinā primū, deinde Disciplina: quarum illa complectitur & sapientiam, ut quae traditurus est, ipse didicerit; & Prudentiam, ut sciat tum quae tradenda in scholis, tum quomodo tradenda. Neutram ex his Doctrinae partibus in se desiderari passus est CÆSAR noster.

Enimverò sapientiam nemo, opinor, huic viro derogaverit, nisi aut se solum sapere existimet, in quo tamen ipsum valde errare necesse est, aut nescio quam fingat sapientiae Ideam apud perfectos illos, si credimus, Vtopios, non in cœtu humanae



istius mediocritatis indagandam. Habebat profecto CAESAR acetum, quod ajunt, in pectore, ac plus in recessu, quam in fronte ostentabat, Literis Graecis & Latinis insigniter excultus, Ore facundus, praecipis nervosus, bonus gravisque stylo, sermone elegans, quid multis? Fandi ac sapiendi artibus instructissimus. Quo loco velim ignoscant mihi aliqui, quod omisis alijs lucubrationibus, quarum nonnullae haud dubie lucem aliquando videbunt, Grammaticam à CAESARE concinnatam, eiusque praefationem accuratè scriptam sermonis mei testem invoco. Multi hunc librum non laudant, scio, neque causam nescio: sed & multi non culpant, adeoque praeclare commendant, non magis hic cerebrum in calcaneis gestantes, quam illi. Argutam Taubmanni regionem accepto, qui sic ad ipsum CAESAREM:

Lib. 1. Epi-  
gram.

Mirifice quidam, CAESAR cultissime nobis,  
Grammaticae laudant docta reperta tuae.  
Hanc ut ego laudem! quin imò indignor, & ævo  
Invideo nostro Pierioque gregi.  
» Nam mihi pubenti maturius ista dedisses,  
» Non mea tam serò nota columba foret.  
Laudent hanc Patres subolesque docenda salonum,  
Grammaticam CAESAR non ego laudo tuam.

Na



Ne tali modo utinam non laudarent plures!  
Quicquid fiat, quibus oculi & mens aperta, ij specimen scientiae, industriae, styliq; Caesareani quantum satis fuerit illic deprehendent, saltem jure non reprehendent. Nec moror, quod ea, quae de stylo dixi, ad orationem solutam censors quidam restringant, in vincula me compedibus veritatis vincitum somnient. Salebrosam enim ut plurimum ac: sed quid opus eloqui! Novi istud non novum multorum praedudicium: qui quidem quid dicant, ipsi viderint, & judicent Poetae. Ego ultra crepidam non ausim. Tantum haec quero paucula: Poetae, quin & versifices, nascantur potius an fiant, & annon suus cuiq; a natura genius? Itemq; rebus, an verbis, sententijs, an sonis magis intendendum? Illis CAESAREM magis quam bis intentum fuisse, si quid discernere possum, autumo, & huius consilij certos auctores, certasq; procul dubio habuisse rationes, quas hoc loco curiosius scrutari nec deceat, nec expediat. Expediet in presenti hoc magis, confestim ut surgentes ex insesso aliquantisper subsellio sapientiae, transeamus in latus alterum ad prudentiam CAESARIS.

Ista vero si cui non aliunde illuxit, quae

tamen



tamen per totos triginta duos annos in schola nostra vellippis & luscis illucere potuit, eum remitto ad Programmata semel atq; iterum ab ipso CÆSARE jussu & auctoritate inclyti senatus nostri proximo isto biennio in publicum edita: quæ brevem sanè & perspicuam exhibent  $\sigma\upsilon\kappa\alpha\gamma\alpha\phi\iota\alpha$  & Lectionum & exercitiorum omnium, quo ordine ac ratione ea instituta atq; instituenda, quæq; opere per singula semestria & examina à docentibus ac discentibus, tum præstita tum præstanda atq; obeunda fuerint. Quæ ratio si quibusdam displicet, aut si qui adeò gestiunt cornicum oculos configere, ij neq; cum beato CÆSARE meo. expostulandi causam habent, neq; mecum, qui pro eo nunc verba facio, sed cum ijs, quorum auctoritatem & præscripta ille secutus est merito.  $\rho\acute{\alpha}\nu\delta\epsilon\mu\omega\mu\acute{\alpha}\delta\delta\iota\iota\mu\mu\acute{\alpha}\delta\delta\iota$ . Equidem apud candidos & æquos aestimatores me Doctrinæ palmam pro CÆSARE obtinuisse confido, neq; difficilius fuerit, quin etiam Disciplinæ. Est ea (quod obiter infero propter non paucos, qui disciplinam in ore magis, quam in mente circumferunt) honesta & strenua morum gubernatio in pietate & virtutibus juxta utrâq; divinæ Legis tabulam. Et tribus potissimum modis ceu instrumentis excitatur, invalescit,

Chytr. in  
Reg vitæ.

conser-



conservatur. Vnum est admonitionibus & præceptis verbi Dei, honestarum legum, doctrinae Ethicae & politicae iuventutem urgere sedulo: Alterum & suo exemplo ad pietatem atque virtutem discipulis prælucere, & aliena ex historijs ad imitandum ac fugiendum proponere, cum primis horribiles poenas, quæ violationem disciplinae omni ævo comitate fuerunt, exaggerare: Postremum rectè facta præmijs, comprobatione, laudibus prosequi, delicta castigatione, vituperijs ac poenis persequi.

Etenim cum omnium honestarum rerum semina gerant animi, hæc ipsa primùm admonitionibus excitantur, non aliter, quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum exserit; vis item ingenij præceptis alitur & crescit, novasque persuasiones adjicit innatis, & depravatas corrigit: deinde autem, quia difficilius aliquantò iter est per præcepta, expeditius hoc alterum, & facilius conjungendum est per exempla, quæ si quotidiana & classica fuerint, tum verò in liberalibus naturis virtutis amorem admirabilem excitant, odijque adversus vitia infixos aculeos relinquunt; nec ergo Philosophiã veluti aliquod artificium venale de-

Sen. Ep. 95.

Id. Ep. 109.

C

dum



Plato 7. de  
LL. b.

dum esse precipit; quod qui facit, eo vix quisquam  
pejus de omnibus mortalibus mereri possit, sed hæc  
demum optima adolescentum adsuefactio est ad  
virtutem, si ea qua mones, in omni vita ipsemet fa-  
cias: deniq; quod Soloni tribuunt, Præmia & pœ-  
nas quasi duas columnas esse, quibus Reip. sa-  
lus innitatur, id ipsum non sine ratione ad scho-  
lasticam Juventutis institutionem, quæ & ipsa  
\* fundamentum est Reipublicæ, videtur posse transf-  
ferri.

\* Diot. apud  
Stob.

Quibus ita præcognitis & roboratis testes  
jam appellare non vereor omnes, quotquot trigin-  
ta proximis annis scholæ nostræ alumni extite-  
runt, haud prorsus ingrati vel perversi, annon  
sub ejusmodi disciplina instituti à CÆSARE fue-  
rint! Qui pietate nihil unquam habuit prius vel  
antiquius, qui nullâ aliâ re discruciabatur ma-  
gis, quàm ob neglecta pietatis exercitia; hanc  
ipse præceptis inculcabat, hortando exstimulabat;  
hinc omnium operarum Scholasticarum in sin-  
gulis curijs sive classibus à prece pietatis ner-  
vo principium, cum prece finem fieri seriò pro-  
videbat: Ad hanc exemplo suo in concionibus  
sacris, ad sacrosanctam Synaxin, in conjunctio-  
ne precum cum Ecclesia attentus, frequens ac

devotus



devotus ipse praebat omnibus, praebat autem? imò  
 praevolabat: hoc amplius in omnes pietati dedi-  
 tos, ac religiosos discipulos amore & favore singu-  
 lari propendebat; eosdem honesta negotias emula-  
 tione, laudumq; temperamentis, at maximè pro-  
 positis & huius & futurae vitae praemijs ad perse-  
 verantiam inflammabat; ceterùm poenas negle-  
 ctæ pietatis exigebat rigidè. Atq; idem planè de  
 disciplina virtutum esto iudicium: in qua CÆSAR  
 non verbis tantum, atq; è suggesto, sed factò eti-  
 am, ac re ipsa semper se gessit eum, qui audiebat,  
 hoc est, Rectorem. Cicero militaris exercitus  
 ducem vult esse in omnibus vitæ partibus inte-  
 grum atq; honestum; summâ innocentiam, sum-  
 mâ in omnibus rebus temperantiâ, fide, humani-  
 tate; qui refrenet libidines, voluptates spernat,  
 coërceat avaritiam, ceteras animi labeles repel-  
 lat; cumq; alijs imperare cœperit, dedecori &  
 turpitudini parere desinat. Quî enim pos-  
 sit exercitum is continere Imperator, qui se-  
 ipsum non continet? Atqui non minus est mu-  
 nus, nec minoris laboris atq; industria, cœ-  
 tui cuidam Scholastico numeroso praesse, quàm  
 gubernare exercitum: Imò (mirentur aut  
 contemnant, quibus lubet) tanta est muneris

1. Tim. 4.  
v. 8.Pro L. Ma-  
nil.

5. Paradox.

Pro L. Ma-  
nil.



De vita bea-  
ta. c. 32.

buius dignitas & amplitudo, ut ipsa Seneca summo post divinum Platonem Philosopho hanc gloriosam vocem extorsit: Nos certè sumus, qui dicimus & Zenonem & Chrysippum Doctores nostros majora egisse, quàm si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent, quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt. Magnum hoc & supra vulgum à viro Magno encomium: è quo jam suâ sponte conficitur; quando munus istud gubernationis scholasticæ ita amplū est, tamq̃ arduum, & quasi Imperatorium, idem etiam virtutibus illis Imperatorijs administrari oportere.

In quibus ipsis ego si repetitâ vice CÆSAREM nostrum semper, ut Ducem & Rectorem bonum, se præstitisse dixero, nihil certè dixero, nisi quod omnes benevoli, qui CÆSAREM noverunt, dum paululum modò à cōmuni festucâ ad suam quisq̃ trabem oculos reflexerit, haud gravatim, sat scio, largientur. Fatebuntur & hoc auriti & oculati testes, quorum adhuc supersunt haud dubiè plurimi, CÆSAREM erga omnes frugi & ingenuos scholæ suæ discipulos non aliter, ac parentem erga liberos, atq̃ ita prorsus fuisse animatum, ut, si unius semihoræ spatio totam suam eruditionem in eos effundere.





dere potuisset, omnemq; morum honestatem ijs ad-  
 fricare, nihil olei & opera fecisset reliquū. Neq; n.  
 ea erat intemperie, quā etiamnum multi tenen-  
 tur, qui semper metuentes, ne suis obstruatur lu-  
 minibus, discipulos rudiores amant, doctiores ode-  
 runt, & hos ab ijs rebus fraudulenter arcent, qui-  
 bus ipsi cupidissimè fruuntur, non absimiles Peda-  
 gogo Sybaritæ, qui, cū puer, quē manu ducebat,  
 ficum humi jacentem tolleret, acerbissimè parvu-  
 lum objurgans ipse ficum arreptum devorabat.  
 Non talis CAESAR noster: quin potius, instar boni  
 Hortulani, succrescentes in virtute ac sapientia  
 alumnos, ceu frugi ac bonæ spei arbusculas, fove-  
 bat, alebat, erigebat. Nec ullum ei in tota vita ju-  
 cundius ἀγαθὸν accidit, quā hujusmodi, quo non  
 suæ ipsius virtutes, quod adfectabat olim Themis-  
 tocles, CAESAR autem modestè declinandum sta-  
 tuebat, sed quo discipulorum profectus in literis &  
 virtutibus optimè prædicaretur. Vicissim verò, si  
 qui erant ea vel petulantia, vel segnitie, ut Phry-  
 gum more non nisi plagis emendari vellent, in ijs  
 corrigendis & meliorem ad frugem reducendis  
 muneri suo nunquam defuit: quin etiam adver-  
 sus Alastores, & improbos, degeneresq; (scholæ  
 fungos & fucos) graviter ac dignis eorum per-

Aelian lib.  
 4. var. hist.





versitate pœnis adnimaadvertentem novimus; ita tamen ut pœnam ad paucos, metum ad omnes vellet pervenire, atq; invitum eò se pertrahi testaretur, instar periti ac fidelis medici, cum ei urendum & secandum.

At at, quidnam istud, quod heic in audio quosdam musitantes? Ego verò salvâ modestiâ profiteri possum, me Capanei ingenio natum, cui  
 Eurip. αὐτῶν δ' ἐστὶν ἡδὲ τὸ εὐπρόσῃ γογοῦν σῶμα: Neq; heic, ita me Candor amet, mussabo: quin aperte fateor, CÆSARI meo illa in parte nonnunquam humani aliquid contigisse, & desiderata in eo à nonnullis moderationem. Verùm præterquàm quòd istud considerari oporteat, CÆSAREM non nisi in gravioribus delictis, & adversus improbiores adeò severiter excanduisse, ubi quæso vir ille cum staterâ in manu ad mensurandam iracundiam? præsertim in media ista nugarum, petulantie, improbitatis colluvie, & ijs moribus ac temporibus, quibus juvenus ita prolapsa est, ut  
 Cic. 3. de divin. x vix satis refrenari possit, atq; coërceri.

Pro. Rosc. Com.

Sed nec alia deest honesta excusatio. Si enim Cicero in Roscio suo noluit improbatum, quòd is Panurgum discipulum summo cum labore, stomacho, miseriaq; erudisset; quoniã, quò quisq; sit so-  
 lertior



lertior & ingeniosior, hoc ipse doceat iracundiùs, atq; discrucietur, cum id tardè percipi videt, quod ipse celeriter arripuit: cur amabo, CÆSARI nostro tantoperè exprobremus, quòd, quantò fuit ipse optimus ac integerrimus, tantò vehementiùs alios improbos fuisse ac scelerosos indignatus fuerit?

Etsi nec ego hunc sermonem ideò instituerim, quasi CÆSARI uni omnia tributa, aut alijs quidquam detractum, aut illum ab omni labe innoxium prestare velim, sed quia sic sentio, idemq; multos honestos ac prestantes viros sentire judico, fuisse in CÆSARE non pauca, quæ amorem, multa, quæ laudem mereri, & exemplum alijs præbere potuerint.

Vt ut ergò se res habeat, si quid forsan uno loco peccatum est à CÆSARE, illud in ceteris ab ipso summa cura & religione compensatum meminerimus, totamq; scholasticam administrationem, saltem hoc modo temperatam, ut ei sub favore Magistratus, cum observantia collegarū, inter amorē ac timorem filialem discipulorum consensescere tandem licuerit. Filialem dico timorē, non servilem alterū, quem nihilominus aliqui sub honesto disciplinae nomine venditare, & fascinatis animis hoc oletum pro myrrha obtrudere necdum hodie

desistunt.



desistunt. At qui videntur nã facere ejusmodi homines (quod pace bonorum omnium dixerim) ut intelligendo nihil intelligant, ac reverã parum abest, quin pro myrrha, quod modò agebam, oletum, pro Junone nubem, pro Disciplina Carnificinam arripiant.

Quid enim plagosi isti orbiliij exercent aliud? quibus obsonium est, etiam leves ob causas (puta si non multa folia lectionum ad unguem sine ulla vel minima hesitatione, uno veluti spiritu deblaterari audiãt, aut si qua similis tortura, aut superstitio ab illis in scholas inducta est) nullo ætatis vel ingeniorum discrimine habito, in misellos discipulos seuire virgis, debacchari fustibus, hos ruere, agere, rapere, tundere, ac prosternere. Quorum ad facies Pantherinas in omnibus angulis penè cū animorum deliquio trepidari videas, haud secus ac si Gorgonis ostendatur caput, aut Empusa quaedam prorepat ab inferis. Vnde tandem hi egregij (scilicet) fructus consequuntur, ut infirma ætas odisse incipiat literas, (quod tamen cavendum erat maxime) priusquam, illæ quid sint, intelligat, ut præ scholapistrinũ optet, ut ex ingenuis animis serviles, ex erectis abjectissimi evadant: quasi verò ad scabiem usq; literis incumbendum, aut scholæ sint

officine,

\* Casel. in Epist. ad Io. Mart.



officina, in quib. homines tantum languidi, pallidi,  
macileti, mucidi, meticulosi, calculosi, hypochondri-  
aci, aut illi barbâ & palliotenus tantum Philosophi  
fingendi, & sculpendi, nec potius illorum similes,  
quibus olim CAROLVS MAGNVS, Parisiensem scho-  
lam ingressus locupletissima sacerdotia, & Ponti-  
ficatus maximos promississe, quos in Aulam se ad-  
sciturum, ex quibus Senatores cooptaturum esse,  
quos in album Prætorum, & Patrum curiam se  
adlecturum voce ac fide regia adseverasse scribi-  
tur. Sipienti, quid velim, sat dictum. Cogitet, qua-  
sò, quorum interest, annon in scholis suis unâ cum  
Musis Gratias retinere possint, hoc præcipuè agē-  
do, ut amorem literarum in animis adolescentum  
accendant, augeant, confirmant; & cum tali mo-  
deratione totius discipline, ut cognoscant Discipuli,  
bonum Præceptorem nihil differre à bono Patre.  
Est autem

Hoc patrium pudore & liberalitate liberos

Retinere potius, quam servili metu,

Hoc pater ac Dominus interest. hoc qui nequit,

Fateatur, se nescire imperare liberis.

Verum pluribus hac de re differere, neq. insti-  
tuti mei est, neq. officij. Obiter duntaxat, & quasi  
per discursum ista monendi occasionem mihi præ-

D

buit,

Avent. l. 4.  
Añal.Terent. A-  
delph. Act. 1.  
l. 1. c. 1.



De recta ra-  
tione institu-  
endæ juven-  
tutis schola-  
sticæ.

Horat. in ar-  
te.

In Program.  
priori.

In Program.  
poster. pr. &  
fin.

buit, cum fortè, dum hæc scribo, in manus meas re-  
cidisset elegans Disputatio M. VVolfgangi Hei-  
deri Professoris Jenensis dexterrimi de consimili  
argumento annis ab hinc decem proposita: quem  
virum optarem, plura de politissimis suis scriptis in  
lucem emittere. Ita hæctenus, quantum mihi vi-  
sum fuit, à doctis omnibus

Omne tulit punctum, dum miscuit utile dulci,  
Lectorem delectando pariterq; juvando.

Cujus etiam meritis in studia mea, quippe inte-  
grum ferè triennium, & ipse quondam publicà  
ejus doctrinà perquàm liberaliter eruditus, hoc,  
quicquid est, mentionis honorificæ tribuendum,  
hoc loco censui.

Vtinam verò CAESARI meo beatissimo (nam ad  
hunc oratio reflectenda est) vitæ hujus usura pau-  
lò longior suppeditasset, ipse met, uti receperat, vel  
peculiari libello reddidisset rationem, & Doctri-  
ne in hac schola propositæ, & Discipline admini-  
stratæ, quando cunq; jussus fuisset. Enim verò non  
minùs verè quàm confidenter nec toto vertente  
anno ante obitum veluti presagiente animo pro-  
fessus est, se nihil in abdito facere, cujus non in  
media luce rationem reddere ad omnes rectè  
factorum conscientia munitus queat; idq; sine

ὁφθαλμῶν



ὄφθαλμοδ' αἰτία ἐν ἀπλότῃ καρδίᾳ, μετ' εὐνοίας δ' αἰένων τῶ  
 κυρίω, καὶ ἐκ ἀνθρώπων; *sej non modò nihil remissurum*  
*deinceps de priorifidelitate ac diligentia, sed imò*  
*summa nervorum viriumq; contentione, quan-*  
*diu DEVS ipsum decurrere hoc stadium voluerit,*  
*in hoc incubiturum, ut Spartam suam non modò*  
*tueretur constanter, sed etiam ornaret fideliter*  
*ac diligenter, idq; (iteratò adseverans) non tam*  
*in gratiam ullius hominis (quanquam & eo-*  
*rum, quibus juratam fidelitatis fidem dedisset,*  
*non minùs atq; ipsi salutis publicæ juvande) quàm*  
*illius, qui & studia honesta pietati & literis im-*  
*pensa rectissimè intelligit, & cumulatissimè*  
*compensat: à quo speraret se reportaturum in al-*  
*tera vita immarcescibilem sempiternæ coronam,*  
 gloria.

Eph 6. v. 5.  
 6. 7.  
 Coloss. 2. v.  
 22. 23.

1. Pet. 5. v. 4.  
 Apoc. 2. v. 10.

Atq; euge! *Eccam reportat CAESAR meus cer-*  
*tissimè, inq; ea triumphat jugiter. Interim & has*  
*exequias, & hunc supremum mortalitatis honorè*  
*à me habeto: quem meritis ejus dignum satis esse*  
*exopto, quin DEO sit gratus, de eo nihil ambigo.*

Ceterùm defunctus nunc tandem difficilima  
 sermonis mei parte, quæ ad publicam vitam CÆ-  
 SARIS & munus ab eo gestum pertinebat, converto  
 me ad alia magis privata, in quibus ero brevior.



Nam & supra precipuas virtutes CAESARIS cum calculo disciplinae strictim subductas memini, & mihi non tam copiam in scribendo, quam modum, neque tam novum quoddam principium, quam exitum esse querendum video. Itaque paucula solum adjiciam, cum primis, quae fuerit observantia CAESARIS erga superiores, quae humanitas in quosvis. De illis semper & ubique sentiebat & loquebatur honestissime, pro ijs vota ad Deum faciebat sedulo, tum vero tanta eosdem reverentia, submissione & omnibus obedientiae officijs veneratus fuit, ut certe enixius non potuerit, & ego parem CAESARI in hoc genere inventum vix quenquam autumem. Idque non tantum externis gestibus factitabat (ut forte quibusdam visus fuit, qui ex suo ingenio alios judicare solent) quam ex animo sincero ac devoto, propter Deum, quem Magistratus auctorem agnoscebat, & propter conscientiam, quam ante omnia CAESAR toto militiae suae terrestri tempore illibatam custodire studuit.

De humanitate vero ejus quid dicam? Idem quod in edito monumento superstes filius: fuisse CAESAREM nostrum ad quosvis, Nobiles Ignobiles, Doctos Indoctos, Divites Pauperes semper quam humanissimum. Multi, ut mollissime loquar, semidocti

austeri-

1. Petr. 2.  
v. 13.  
Rom. 13. v. 1.  
& 5.

1. Tim. I. v.  
18. 19.



austeritate vultus, vocis asperitate, morum insolentiâ, aut etiam φιλαυτία & despectione aliorum, auctoritatem & existimationem doctrinae sibi circumdari arbitrantur: At inter omnes eruditos regulariter, quò quisq; est doctior, eò quoq; comior, humanior, & humilior; sicut patrum etate humanissimus erga omnes fuit communis Germaniae praeceptor Philippus Melancton, cujus discipulū verè γνῶσκων hac etiam in parte CAESAR se probavit; probavit autem non vultu tantum vel sermone, aut reliquâ civilitate, sed omni officiorum promptitudine, sed beneficentia, sed ipsa φιλοφρονία, virtute in sacris literis totiens inculcata; quam ille, cetero quin frugalis ac temperantissimus, praecipue viris doctis aut peregrinis liberaliter nec infrequenter exhibuit. Ac omnino, quod apud Xenophontem Cyrus de seipso, idem ego de CAESARE meo adfirmare possim, majori eū voluptate adfectū fuisse, cū beneficijs afficeret alios, quā cū ipsum alij. Summatim in hoc viro cū eruditione Humanitas, cū humanitate beneficentia, cū his omnib. ipsa probitas certare visa est. Vnde jam nemini mirū videri debeat, quòd CAESAR passim cū tot clarissimis viris, & hi rursus cum CAESARE amicitiam & familiaritatē summam coluerunt, eamq; literis ultrò citròq; missi-

Rom. 12. v. 13.  
1. Tim. 3. v. 2.  
Tit. 1. v. 8.  
1. Petr. 4. v. 9.  
Ebr. 13. v. 2.

In Pædia.





Cic. 2. offe.

tatis studiosè foverunt; siquidem hoc proprium virtutis est ac probitatis, conciliare sibi animos hominum; adeò, ut eos etiam, quos nunquam vidimus, fama tantùm & opinione virtutis commoti à natura ipsa diligere cogamur: quemadmodum de Pantarbe lapide memoratur, eum arcana quadam & magna vi aurum ad se attrahere.

\* Cùm enim virtus se extulit, & lumen suum ostendit, & idem aspexit agnovitq; in alio, ad id se movet, vicissimq; accipit illud, quod in altero est, ex quo mutuus tandem exardescit sive amor, sive amicitia.

\* In Latio.

Quo pacto qui cum CÆSARE unanimiter conspirarunt, si nominare vellem universos ac singulos, opprimerer copia, quando è florentissimis Germaniæ nostræ Scholis & Academijs præstantissimus quisq; nominandus erat. DAVID CHYTRÆVS, orbis Arctoi Solon, hic unus mihi erit instar omnium: de quo, quantum tribuerit CÆSARI, ego optimè sum conscius, & loquitur pro me in Publico partim ipse, honestissima mentione CÆSARIS Saxonie suæ, operi pol immortalis, inserta, partim ipsius filius in Epistola sua, qua ante septennium notas Parentis in primam Musam Herodoti typis excusas Filio CÆ-

Lib. 22. sub  
fin. fol. 606.

SARIS



SARIS, tum natu majori ἔμφρονόμῳ nuncu-  
pavit.

Neg<sup>3</sup> enim, ( ut hoc modo paullatim ad interi-  
ora, tandemq<sup>3</sup> ad extrema calamum deducam )  
coelibem vitam, quibusdam falso coelitem, CAE-  
SAREgit, sed eo fine, quem Plato homo Ethnicus,  
satis religiosè constituit, nimirum, ut DEO cul-  
tores in suum locum substitutos aliquando relin-  
queret, confirmata jam etate uxorem duxit ma-  
tronam honestissimam Margaretam Matthæi  
Kelleri, Civis ἔ Senatoris Reipublicæ nostræ Pri-  
marij filiam, M. Jacobi Fabricij, Scholæ hujus  
itidem quondam Reſtoris, viduam: Et hoc è  
conjugio, benedicente DEO, liberos octo suscepit,  
mares sex, fœmellas duas, quamvis hi omnes præ-  
ter filiam Margaretam primogenitam Augusti-  
no Crusio nuptam, ἔ filium Ioachimum in-  
verso, sed haud insueto, mortalitatis ordine,  
prædeceſſerint. Quorum omnium ἔ singu-  
lorum obitus, quàm gravis ἔ luctuosus CAE-  
SARI acciderit, piæ mentes facile æstima-  
bunt. Ut enim quæq<sup>3</sup> natura optima, qualis  
certè fuit in CAESARE, ita maximè est φι-  
λόσοφῳ, maximèq<sup>3</sup> adſcitur suorum duriori-  
bus casibus: qua de caussa MELANCHTON

G. de LLb.

A. 1575. d. 15.  
Febr.quoq<sup>3</sup>



in Orat. de  
Frid. Barbar.

quoque, in Germaniâ vehementiorem esse libero-  
rum amorem, quam in ceterarum nationum ho-  
minibus, credidit.

M. Christo-  
phorus Cæsar  
junior, SS.  
LL. Gandi-  
datus.

A. 1598. d. 3.  
Oâob.

2. Theff. 4.  
v. 13.

Pfal. 68. v. 20

1. Cor. 10.  
v. 13.

1. Sam. 2. v. 6.

Longè autem gravissimum & ceteris omni-  
bus profundius doloris vulnus in viscera CAESARIS  
adaetum fuit, cum filium CHRISTOPHORVM ingenio  
& robore corporis florentissimum, jamq; ad arcem  
Gloriæ plena virtutis & doctrinae via grassan-  
tem, nondum exacto anno ætatis vicesimo inopi-  
nata morte oppressum, inq; complexu suo vidit, si  
præ ærore ac stupore videre potuit, expiran-  
tem. Cuius atrocissimi vulneris cicatrix, etsi in  
hac mortalitate vix unquam apud animum CAE-  
SARIS verè obducta fuerit, quin oborta istius infe-  
licis fati recordatione, quod factum sæpius, non  
suspiria tantum, sed lacrymæ illi ubertim excute-  
rentur, tamen ne contristari videretur more gē-  
tium, quibus spes nulla superest, in media tristitia  
consolationibus quoque divinis locum dedit, ac vo-  
luntati patris cœlestis reverenter se subjecit, quæ  
didicerat dilectis suis filiis onus quidem imponere,  
at verò maximâ eos parte vicissim sublevare: nec  
sinere quenquam tentari ultra vires suas, sed ex-  
itum e calamitatibus ejusmodi patefacere, ut su-  
stinere queamus; deducere eum ad inferos & re-  
ducere,



ducere, infligere vulnera & inflicta sanare, occidere & vivificare; ac planè eundem & cum cedit patrem esse, & cum blanditur patrem esse; cadere ne pereamus, blandiri, ne deficiamus.

Augustin.

Et quid de hac benignissima Dei affectione, in se dubitasset CÆSAR, qui eundem antea in extremis ac desperatissimis periculis miraculosum adiutorem totiens expertus fuerat? Nam hoc ad gloriam & laudem Dei non est prætereundum silentio, CÆSAREM nostrum etiam fuisse unum ex ijs, de quibus Psalmista testatur, quòd Angelus Domini castra metetur in circuitu eorum, & eripiat eos. Vnum cum primis casum, quem ipse CÆSAR linguâ vernaculâ latissimè descripsit, rudi versione ac paucioribus verbis à me comprehensum benevolus lector absq; molestiâ cognoscat.

Psal. 34. 7. 8.

Cum CÆSAR post obitum matris, familie heriscunde gratiâ in patriam profectus esset, evenit in reditu propè Polencium majoris Polonia oppidum, sub vesperam, ut propter via difficultatem è curru in semitâ esset descendendû: Hanc ille aliquantisper secutus, mox opinione compendij aliò à socijs deflectit. Erat autem tractus iste per amplo circumcirca spacio totus uliginosus, palustris ac fruticetis densissimè confitus, bestiarum insuper

A. 1573. d. 27. Iul.

E latibu-



latibulis, veluti urforum, Aprorum & luporum  
infestus.

In hunc CAESAR erroneis quibusdam anfra-  
ctibus seductus, quò diutiùs progreditur ac suo pte  
judicio, ut sibi quodq; vadum commodissimum,  
videbatur, huc illuc ambulat, eò longiùs a socijs &  
viâ regiâ avellitur, ac tandem sub noctem inte-  
rim ingruentem, ejusmodi Labyrintho se impli-  
cat, ut nec porrò nec retrò evadendi via ulla ap-  
pareret. Totâ deinde nocte sub Luna exitum an-  
xie querendo in paludibus & lacunis volutatus,  
sepiùs, dum loca profundiora saltu superare ni-  
titur, in medias aquas ad Diaphragma usq;, non-  
nunquam supra collum precipitatus atq; immer-  
sus fuit, ut vix summo cum labore summaq; ner-  
vorum contentione eluctari potuerit. Extre-  
mum è continuo motu, vigilia & mœrore fractis  
ac debilitatis totius corporis viribus, & omni sa-  
lute desperatâ, ad arbusculam quandam reclin-  
ans, DEO q; misellam suam animulam in tan-  
tis angustijs lamentabiliter commendans, mise-  
randa mortis adventum illic opperiri constitue-  
rat, jam-jam pugillares suos, quibus & nomen,  
& confessionem suam, & occasionem periculi in-  
scripserat, arbori appensurus: cùm ecce de impro-

vifo



viso paucis inde passibus virum habitu rustico tergum sibi obvertentem conspicit: quem ubi statim de auxilio inclamasset, is promptissime accedens, & facili labore, & mirabili compendio, & brevi temporis intervallo per invias & profundissimas lacunas CAESAREM recta in oppidum deducit.

Ibi non tantum socij, qui CAESARIS infortunio gravissime consternati erant, & jam ipsi quoque spem omnem de vita ejus abjecerant, mirari ac mirifice gaudere, sed simul oppidani, qui pridie a socijs CAESARIS de consilio & auxilio necquidquam implorati, nihil nisi certissimum interitum praesagierant, catervatim in hospitium quasi ad inusitatum quoddam spectaculum accurrere, & uno ore divinam CAESARIS liberationem agnoscere ac predicare, constantissime adfirmantes, illum eo in loco fuisse intricatum, quo antehac complures alios eadem via ignorantia seductos misere perire, (sive suffocatos in paludibus, sive a bestijs laniatos, sive fame enectos) neminem verò unquam vivum inde reverti meminissent.

Virum igitur illum auxiliatorem CAESARIS bonum fuisse geniū divinitus missum concludebant: qualis etiā ex indicijs penè infallibilibus apparuit. Nā primū locus, ubi ille cōspectui se dederat,



inhospitalis atq; insolens, tum incredibilis eiusdem  
in educendo CÆSARE erat dexteritas: in super mer-  
cedem oblatam planè respuit, ac deniq; CÆSARE eū  
invitante, simulans se praeuntem sequi in hospiti-  
um repente disparuit, nec ab ullo homine agnitus,  
aut postea iterum conspectus fuit.

A. 1585. d. 8.  
Octobr.

Simili ferè modo S̄ ope angelicà post annos  
duodecim CÆSAR Helmaestadium contendens cum  
duobus itineris comitibus in B V D A flumine,  
Stasfurtum alluente presentissimum mortis peri-  
culum, ab ipso pariter prolixè linguà latinà descri-  
ptum, S̄, quantum è filio intelligo, brevi fortasse  
unà cum superiori Polenciano typis evulgandum,  
evasit itidem: quemadmodum S̄ triennio post nō  
minus miraculosum *ὁ δὲ ἀπὸ μὲν χαρῆς ἑσθῆτος* extitit,  
cū è morbo prorsus lethali præter amicorum sp̄e  
S̄ contra omnes Canones Medicorum convale-  
sceret. Quæ certè singula S̄ universa tanquam  
manifesta indicia magni cuiusdam S̄ præcipui fa-  
voris ac gratiæ divinæ erga CÆSAREM à nobis a-  
gnosci, minimè credulum aut superstitiosum, sed  
verè piū S̄ Christianum fuerit.

A. 1588. mens.  
Iun. & Jul.

Veruntamen, quia

Ultima semper

Expectanda dies homini, diciq; beatus

Ovid. 3. Mes-  
tamor. ex So-  
lon. in Cl.  
Herodot.

Ante



Ante obitum nemo supremæq; funera debet,  
quod ipsum etiam sacris literis consentaneum esse  
novimus: age unâ cum filio vitæ CÆSARIS etiam ser-  
monis mei filum tandē tandem abrumpam, & qua-  
lis extremus vitæ CÆSARIS actus fuerit, paucissimis  
tantum explicabo.

In morbum ille incidit postridie Cal. Jun. len-  
tum quidem eum, sed lethalem: in quo nullum im-  
patientie aut impotentis animi signum edidit, neq;  
ullum doloris morsum præter unum languorem &  
virium defectiōem, *ἡδὴ ἀδωρεξία*, nullum item cru-  
ciatum animi se sentire toto eo tempore professus  
est, quin paulatim absumto naturali humore, quæ  
Medici *ἰατρικὴν* dicunt, & exhaustis viribus,  
cum termino se premi, & ex hoc fragili corporis  
domicilio emigrandum esse præsentisceret, totâ  
mente in meditationem verbi DEI defixâ, & effi-  
cacissimis cōsolationibus de Christi merito ac certa  
resurrectionis spe, pectusculo suo penitus infixis  
plenum se desiderij vitæ aeternæ, ejusq; gustū quen-  
dam in hac etiam vita se percipere testatus fuit:  
breviter, ut omnia ejus in vita pacata, sedata, æ-  
quabilia fuerūt, ita ad extremum post morbū ses-  
quitrimestrē, summa quiete sine ullo strepitu, aut  
doloris indicio, in vera fide & invocatione Filij

Matth. 10. v. \*  
22.  
Apoc. 2. v. 10.



15. Augusti  
h. 12. noctis  
Anno æt. 65.

Bernhard.

Vid. Lips. 2.  
Cent. Ep. 61.  
& in Not.  
Polit. c. 9 de  
Hist. Paul.  
Aemyl.

in Bucol.  
Ecl. 1.

d. Jacobi  
1503.

DEI & suorum in complexu lenissimè spiritum ex-  
balans transijt de labore ad refrigerium, de expe-  
ctatione ad precium, de morte ad vitam, de fide ad  
notitiam, de peregrinatione ad quietem, de hujus  
mundi exilio ad cœlestem patriam.

Funestum verò, me CHRISTE, ac deplorandum  
nobis fuit proximum istud biennium, quo tot eme-  
ritos ac præstantes viros urbs nostra amisit, quot  
antea vix intra decennium & amplius desidera-  
tos recordamur. Ecclesie, si suburbanam Glau-  
cbensem adnumeres, Pastores erepti tres: Consilio  
aulico Cancellarius (libenter enim ac studiosè in  
rebus novis nova usurpo nomina, quantumvis Ci-  
ceroni incognita) & Protonotarius: Senatui præ-  
ter Senatores aliquot & Secretarium ultra sexa-  
ginta annos meritissimum Consules duo: Scabina-  
tui Senior: tandem & scholæ Rector.

Sæpè malum hoc nobis (si mens non læva fuisset)  
De cœlo tactas memini prædicere quercus;  
in exilio suo Melibœus queritur. Quod idem ad  
funesta hæc tempora non incommodè transtuleri-  
mus, si cum memoriâ reputemus plusquam hor-  
rendam illam superioris anni tempestatem, quæ  
uno diluculo tredecim diversaloca urbis nostræ (ut  
communiter observatum est) fulmineis ietibus

percu-



perculit atq; percussit prorsus terribiliter. Quid  
 verò dicam? Proximà estate turrim templi Ma-  
 riani, simili telo transverberatam nunquid obli-  
 tumus, aut non observavimus, id biduo ante obi-  
 tum CÆSARIS, & supra eum ipsum chorum conti-  
 gisse, ubi ille cum cœtu Scholæ primario Religioni  
 & decantandis divinis laudibus vacare consue-  
 verat? Si quis enim hæc omnia casu facta fuisse,  
 ac sine ulla significatione cœlesti autumet, ab eo  
 meam sententiam palàm sejungo: quin neq; istud  
 absq; peculiari quodam Numine & omine acci-  
 disse crediderim, ut, quo die ante annos triginta  
 novem Schola nostra in Cœnobium Franciscanum  
 primùm introducta, & ab eo tempore quotannis  
 læta Encœnia à docentibus ac discentibus instau-  
 rari moris fuit, eodem Rectori illius, beato CÆSA-  
 RI, exequias iverimus.

d. 22. August.  
1604.

d. 17. August.  
1567.

Profectò nimis duri simus, nisi & hoc, & cete-  
 ris tot præstantium virorum funeribus valde ad-  
 ficiamur, quæ vereor, ne plus mali, quàm ego dul-  
 cissime patriæ ominari velim, portentant.

Nam si quando Deus pœnas meditatur acerbis  
 Urbibus, egregios eximit inde viros.  
 In primis q; senes, arte, usu, etate peritos,  
 Consilio placidos, iudicio q; graves.

Illis



Illis si juvenum succedit fervida turba,  
 Spe, livore, odijs, ambitione tumens,  
 In pejus tum cuncta ruunt, retrōq, feruntur:  
 Quisquis es, hinc pestem disce cavere tuam.  
 sicut hos elegantes versiculos in monumento quo-  
 dam Lubecensi excerptos Historiæ Livonica scri-  
 ptor Salomon Henningus annotat.

f. 26<sup>o</sup>

Optemus tamen & precemur DEVM, ut, quem-  
 admodum huic cœlesti ἀρχιάτρῳ πάντων ἀνταξίῳ ἁλῶν  
 cætera Ecclesiæ & Republicæ vulnera curationi  
 hæctenus fuisse vidimus, nec sine lubentia & grata  
 mentis devotione vidimus aut videre debuimus:  
 ita idem fatiscentem adhuc scholæ nostræ cicatri-  
 cem saluari emplastro, b. e. Bono successore Cæ-  
 SARIS, quem quidem spe ac desiderio jam-jam ad-  
 ventantem tenemus, obducere dignetur illico.

Zonar.

Talis enim cum scholæ & universæ patriæ no-  
 stræ ornamentum & adjumentum eximium, tum  
 præmortui Rectoris beati CÆSARIS opti-  
 mum fuerit Epitaphium.

SCRIPSI.



Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3  
002 690 756  


56.

VD77









Parentatio  
 CL<sup>mo</sup> V. M. CHRIS-  
 TOPHORO CÆSARI,  
 SCHOL. HAL. RECT.

scripta  
 à

LAVRENTIO *Shmen*  
 HALENSE.

Επιτάφιον.

*Vitam operasq; omneis qui publi impendit Halensi,  
 Subtus CHRISTOPHORI CÆSARIS urna latet.  
 Imperium heic nullum visus tenuisse, sed illic  
 Cum CHRISTO summum jam tenet imperium.*



LIPSIÆ

Ex Officina Typographica Abrahami  
 Lambergi. Anno 1605.